

XVI.

DE CAUSA TEUTFRIDI PRESBYTERI

Qualiter sit agitanda vel diffinienda.

(Apud eundem, ex editione Moguntina Joannis Busæi.)

CAP. I. Sanctus Gregorius papa, in Regesto decretorum suorum, multoties negotia ecclesiastica et causas ecclesiasticorum legaliter ac regulariter debere diffiniri decernit. Ubi vel a quibus causa de Teutfrido presbytero agitanda vel diffinienda sit (*Cod. Theod. l. 10, de Accusation.*): « Leges decernunt ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum judicia agitari, ubi facinus dicatur admissum. Peregrina autem judicia præsentibus legibus coercemus. » Et Carthaginenses canones capite trigesimo: « Placuit, inquit, ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. » Et synodus Africæ provinciæ in epistola ad Cælestinum papam: « Prudentissime, inquit, justissimeque providerunt patres, quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda. »

CAP. II. Presbyter confessus vel convictus, a proprio episcopo, si contentiosus fuerit ab episcopis suæ provinciæ judicari debet, sicut Nicæni, Antiocheni, Sardicenses, et Chalcedonenses, et Carthaginenses Africani canones deernunt. Unde Antiocheni canones capitulo decimo sexto dicunt: « Perfectum concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus antistes. » Et capitulo vigesimo de conciliis episcopalibus: « In ipsis conciliis adsint presbyteri, et diaconi, et omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. » Et capitulo nono, « ut episcopus nihil agere tentet præter antistitem metropolitanum, nisi quod ad propriam parochiam pertinet, nec metropolitanus sine cæterorum gerat consilio sacerdotum. »

CAP. III. Quia de facultatibus ecclesiasticis furtim vel sacrilege distractis Teutfridus confessus vel convictus dicitur, scilicet de planetis tribus, de tunica Immæ reginæ, de balteo aureo cum gemmis, de bursa eburnea, de libra una de auro, et de cæteris aliis rebus, leges dicunt: « Confessi debitores pro judicatis habentur: ideoque ex die confessionis tempora solutionis constituta computentur. » Et canones apostolorum capitulo vigesimo quinto dicunt: « Episcopus, presbyter aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communionem privetur. Dicit enim Scriptura: *Non vindicabit Dominus bis in id-*

A ipsum (Nahum. 1). » Si enim fidelitatem ipsi casæ Dei juravit, in perjurio captus est: quia vero sacras Deo facultates distraxit, sacrilegium admisit, sicut sanctus Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum quamplurimis sacerdotibus judicabat: « Qui, inquit, Christi pecunias et Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justis iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit et ut sacrilegus judicandus est. » Et sanctus Urbanus papa et martyr: « Res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum: si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ; et oportet hujusmodi tradere Satanae, ut spiritus salvus fiat in die Domini. » Et sanctus Lucius papa: « Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores a liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. » Et sanctus Gregorius papa: « Sacrilegum, inquit, et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquatur, prave voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere. » Et sanctus Augustinus, a sede apostolica per beatum Cælestinum inter optimos Ecclesiæ magistros merito computatus, in sermone Evangelii beati Joannis dicit: « Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas, et ne contempnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, sed loculorum Dominicorum, loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, non qualiscunque fur, sed peculator. Peculatus enim dicitur furtum de republica. Et non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ. Quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuit non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur et rapit, Judæe perditio comparatur. » Et hinc sacri canones dicunt (*conc. Agath. c. 4*): « Clerici, vel etiam sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumperint, aut id quod ipsi donaverint ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur, et qui ab ecclesiis exclu-

duntur, in gradu ecclesiastico manere non permittantur. »

CAP. IV. Si Teutfridus confessus vel convictus fuerit, relicto ecclesiastico iudicio, ob defensionem vel purgationem suam palatium expetisse, inferendum illi capitulum undecimum Antiocheni concilii: « Si quis episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ subjectus, ecclesiasticæ, præter consilium vel litteras episcoporum provinciæ et præcipue metropolitani, adierit imperatorem vel regem, hunc reprobari et abjici oportere, non solum a communione, sed et ab honore, cujus particeps videtur existere, quia venerandi principis auribus molestiam tentavit inferre circa leges Ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu et consilio metropolitani, et cæterorum episcoporum qui in eadem provincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis. » Et Carthaginenses canones capitulo nono (*conc. Carthag. III, c. 9*): « Quisquis, inquit, episcoporum, presbyterorum, et diaconorum seu clericorum, cum in ecclesia crimen ei fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminalibus. In civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. » Et sanctus Leo papa (*epist. 96*), et synodus Romana: « Censemus ut quicumque, prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, a cœlesti arceatur altario. »

CAP. V. Si Teutfridus convictus vel confessus fuerit, quod manifeste vel ingeniose proximos suos in perjurium induxit, sciendum est, quia tot perjuriorum reus est, quot homines malitiose in perjurium induxit, et majus peccatum inde ille ipse habet quam illi qui pro eo ipso rogante juraverunt, sicut Dominus loquens ad Pilatum manifestat, dicens: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* (*Joan. XIX*). Et sanctus Gregorius de hujusmodi in Pastoralis regula (*part. III, c. 5*) dicit: « Scire enim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. » Et presbyter, quanto gradu quolibet Christiano laico est celsior, tanto culpa illius est gravior, et qui illorum perjurio est colligatus, in illorum est perjurio captus, ac per hoc secundum capitulum vigesimum quintum apostolicorum canonum de perjurio iudicandus. Unde sanctus Hieronymus, exponens sententiam Ezechielis prophetæ de prævaricato juramento a Sedechia rege dicit: Multo enim fidelior inventus est ille qui propter nomen Dei tibi credidit et deceptus est, te qui per occasionem divinæ majestatis hosti tuo, imo jam amico, molitus es insidias.

A Propterea Scriptura dicit: *Juramentum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus* (*Ezech. XVII*). Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum, et instar feræ clausum cavea, translatum in Babylonem (*IV Reg. XXV*). Rex quippe Babylonius, ut beatus Gregorius exponit (*Moral. lib. VII, cap. 13*), est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit ut hæc se amittere ipse qui captus est dolens cernat. Nam bona gignit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus bona quæ genuit amans perdit, et quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonium levat. Sed dum videns nequitie perpetratoe percutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur, ut ipse quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonius rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus, subductis prius bonis operibus, post et intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe *multa hæc* interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis clauditur, qui pravo usu ex iniquitatis suæ multitudine gravatur. Hæc omnia justo Dei iudicio patitur, qui juramentum in nomine Domini prævaricatur, quoniam qui contemnit juramentum, ut beatus dicit Hieronymus, ipsum despicit per quem juravit, illique facit injuriam, cujus nomini credidit adversarius, hoc est, ille cui juratum est in nomine ejus qui dicit: *Non accipias nomen Domini Dei tui in vanum, neque polluas illud* (*Exod. XX*). Et: *Reddes Domino juramenta tua* (*Matth. V*). Et psalmus dicit, illum futurum in loco sancto, *qui jurat proximo et non decipit* (*Psal. XIV*).

C CAP. VI. Si autem dicere voluerit, quia necessitate coactus illud juramentum facere jussit, quod tamen servare potuit et debuit, et ideo reus perjurii non teneatur, audiat quid sanctus Gregorius dicat de illo qui jurat, vel anathematizat: « Qui jurare vel anathematizare debet, et blanditur tibi, quod non teneatur reus, si prævaricatus fuerit quod juravit, vel anathematizavit, quia invitus hoc egit, si qui sunt qui dicant, quod compulsus quispiam necessitate si anathematizaverit anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt qui hoc dicunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, eosque et ego et omnes catholici episcopi, atque universalis Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. »

D CAP. VII. Si autem dixerit, quod plures solent dicere, quia per ingenium jurare jussit, non putet

verbi arte se posse fallere Dominum, cui nihil occultum est, et qui non ut jurat quis attendit, sed ut is putavit cui juratum est, et proximi juramento credidit. Qui autem per dolum jurat, ut catholici doctores dicunt, primum Deo reus est, cujus nomen contra præceptum legis assumit in vanum, deinde

A proximo, quem atra fraude fallere putat, dicente Psalmista, quia *Innocens manibus et mundo corde, qui non jurat in dolo proximo, accipiet benedictionem a Domino (Psal. xxiii)*. Sed et sibi ipsi reus est, *Qui accipit in vano animam suam, contradicente Psalmista (ibid.)*.

XVII.

DE VISIONE BERNOLDI PRESBYTERI

(Apud eundem, ex codice monasterii Herivallensis..)

HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus et religiosis viris, ad quorum notitiam hæc quæ sequuntur pervenerint.

(Flodoard, *lib. III, c. 3 et 18.*) Nuper in parochia nostra quidam mihi notus homo, nomine Bernoldus, infirmatus, et post confessionem, et reconciliationem, atque sancti olei unctionem, et corporis Christi ac sanguinis communionem, ingravescente valetudine pene usque ad mortem pervenit: ita ut per quatuor dies nec cibum vel potum capere, nec loqui posset, nisi raro signum facere, ut ei aqua daretur. Quarta autem die hora nona velut exanimis jacuit, adeo ut non posset in eo sentiri halitus, nisi per vices, qui manum suam mittebat ad os illius, vel super pectus ejus, vix sentiebat in eo adhuc spiritum esse: rubor tamen in facie magnus erat, et sic jacuit usque ad mediam noctem. Circa vero mediam noctem apertis oculis, viriliter uxori suæ ac circumstantibus dixit, ut quantocius currerent, et confessorum suum velociter ad se venire rogarent, quia nisi cito veniret, ille vivere non posset. Accito autem presbytero, antequam in mansionem ubi ille jacebat presbyter veniret, cum in exteriorum domum intravit, dixit ille qui jacebat infirmus: Ponite hic sellam, quia presbyter jam domum istam intrabit. Isdem autem presbyter, mox ut ostium est ingressus ubi ille jacebat, incipiens pro eo orationes dixit: Dominus vobiscum, et ille clara voce respondit: Et cum spiritu tuo. Dictis autem orationibus, dixit presbytero ut sederet secus eum; et ait illi: Attente intellige quæ tibi dicturus sum, ut si ego in corpore manens illa nuntiare non potero quæ mihi jussa sunt, tu illa annunties. Et cœpit vehementissime flere, et cum singultibus dixit: Ductus de isto sæculo ad aliud sæculum, veni in quemdam locum, et inveni episcopos quadraginta et unum: inter quos novi Ebonem, Leopardellum, et Æneam, pannosos et denigratos, velut si ustulati fuissent, et squalentes, sicut et alios, et per vices nimio frigore horribiliter cum fletu et stridore dentium tremulantes, et per vices calore nimio æstuentes. Et Ebo episcopus me vocavit ex nomine dicens: Quia tibi dabitur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego et isti

B confratres nostri, ut adjuves nos. Et ego respondi: Quomodo vos possum adjuvare? Qui respondit: Vade ad homines nostros clericos et laicos, quibus benefecimus, et dic illis ut pro nobis faciant eleemosynas et orationes, et impetrent pro nobis offerri sacras oblationes. Et ego respondi, quia nescio ubi illorum homines essent. Et ille respondit: Nos dabimus tibi ductorem qui te ad illos ducat. Et dederunt mihi unum hominem, qui me præcessit, et duxit me ad maximum palatium, ubi multitudo hominum eorundem episcoporum erat, et de illis episcopis loquebantur, et ambasciavi ex illorum parte quod mihi jussum fuerat. Inde cum ductore meo rediens, ad locum ubi ipsi erant episcopi reveni, et quasi ea jam quæ postulaverant pro ipsis facta fuissent, erant jocunda facie, quasi a novo rasi et balneati, et habebant albas vestitas, et stolas, et sandalia in pedibus, planetas autem non habebant. Et dixit mihi præfatus Ebo: Vides quantum nos adjuvavit tuus missaticus? Usque modo nimis durum custodem et custodiam gravem sicut vidisti habuimus, modo habemus domnum Ambrosium custodem, et levem custodiam. Inde veni in quemdam locum tenebrosum, ad quem ex alia parte lux resplendebat de vicino loco satis lucidissimo, et pulcherrime florido, et odorifero, ad eundem locum tenebrosum. Et vidi ibi jacere domnum nostrum Carolum regem in luto ex sanie ipsius putredinis, et manducabant eum vermes, et jam carnem illius manducatam habebant, et non erat in corpore ipsius aliud nisi nervi et ossa. Qui vocans me ex nomine meo dixit: Quare me non adjuvas? Cui respondi: Domine, quomodo vos possum adjuvare? Et ait: Prende illam petram, quæ juxta te est, et elevato capite, pone illam sub capite meo: sicut et feci. Et dixit mihi: Vade ad Hincmarum episcopum, et dic ei, quia illius et aliorum fidelium meorum bona consilia non obaudi, ideo ista quæ vides, pro culpis meis sustineo. Et dic illi, quia semper in illo fiduciam habui, ut me adjuvet, quatenus de ista pœna sim liberatus, et per omnes qui mihi fuerunt fideles ex mea parte postulet ut me adjuvent, quia si inde certamen habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Et interrogavi illum, quis